



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Summarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER VICESIMUS TERTIUS,

De Theologalium Virtutum natura, atque exercitatione,

S U M M A R I U M.

I. Ratio Ordinis.

I.
Ratio Ordinis.



ACILE ex præmissa Symboli Apostolici expositione conficitur nihil esse Christiana fide præstantius, nihil utilius; quoniam Divinâ illius claritate perfusi, quæ nec Atheniensium philosophorum assidua contemplatio, nec idololatrarum gentium excogitavit religio, Divini cultus præcepta, morum institutiones, virtutum officia, & firmissimam atque inconcussam Theologicorum dogmatum doctrinam absque ulla erroris caligine assequimur, tradimus, propugnamus. Sed cum sit miserrima illorum hominum conditio, quibus aut non affulget hujusce fidei supernum lumen, aut sponte sedentibus in tenebris & umbra mortis inest poenalis cæcitas, animique increduli sordes ac dedecus; illorum tamen deterrima via, ac suprema malitia est, qui fidem non consummantes operibus, nec posito fundamento superædificantes probatæ dilectionis aurum, & preciosos piorum operum lapides, thesaurizant sibi iram in futuro, amittunt sperandarum rerum substantiam, nec adhibent omnem curam, ut

peregrini & hospites super terram ad Civitatem, cujus artifex & conditor Deus, indefesso labore, invictoque studio contendant. Ab iis enim, quibus ampliora collata sunt beneficia, usque ad minimum quadrantem reddendam esse rationem docent Evangeliorum parabolæ, commonstrant dispersæ Judæorum reliquiæ, flagitat, acriterque postulat ingratiissimæ oblivionis meritum singulare. Posteaquam ergo Catholica fidei ac religionis munus accepimus, mysteria cognovimus, firmitatem & vidimus & audivimus & contrectavimus; danda est opera, ne fides nostra sit inanis & mortua, sed vividæ spei, & flagrantissimæ charitatis conjuncta adipiscatur repromissionem; nec ulterius per speculum & in ænigmate, sed ablato velamine, & facie ad faciem, quod firmissime credimus, atque expectamus, mente apertissime intueamur, corde jucundissime degustemus. Hujus rei gratiâ quomodo credendum sit, quomodo sperandum, quomodo diligendum proxima dissertatione explicabo, Divinæ Sapientiæ, quæ pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei mater est, numine suppliciter demisseque implorato.

CA-